



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 52. Concilium a Papa Romæ indictum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

afficiebant. Igitur Cardinalis Jordanus ab Urfinis obtenta sacram hanc militiam promulgandi facultate tanquam Sedis Apostolicæ Legatus in Hispanias venit, minus prospero tamen Legationis suæ successu; Benedictus enim Papa in hoc regno suum adhuc imperium exercens, Joannis XXIII. Bullas flocci pendebat, aliunde etiam Ferdinandus Arragoniæ Rex cum Mauris inducias pactus erat, arma sua in Orgelitanum Comitem conversurus. Hic autem bellum adversus Mauros coeptum tandem suæ cervici impendere sentiens, Ferdinando fidem suam jurejurando obstrinxit. Cum vero hæc subjectio non nisi ad fallendum instructa esset, paulopost ad arma Comes rediit, ad tantas tamen brevi tempore redactus angustias, ut Ferdinandi clementiam supplex implorare coactus fuerit, qui eidem vitæ quidem gratiam fecit, ad perpetuos tamen condemnavit carceres, in quibus etiam contabuit.

§. LII.

Concilium a Papa Romæ indictum.

Anno necdum exeunte Papa ad Mensum Aprilem anni sequentis Concilium indixit Generale Romæ celebrandum, morem gesturus Synodi Pisanæ decreto, quod intra trium mensium spatium

Sæcul. XV.

A. C. 1411.

Labh. Conc.
tom. XI.

p. 2323.

Monach. S.

Dionys. l. 32.

p. 843.

Hist. Eccles. Tom. XXV.

X

tium

Sæcul. XV.
A.C. 1412.

tium œcumenicam Synodum convocandam esse præcepit. Bulla hanc in rem data legitur Mense Majo Anno Domini millesimo quadringentesimo undecimo. In ea Pontifex ineluctabilem exponit festuendi necessitatem adversus Ladislaum, & Gregorium, quos vivis admodum depingit coloribus. Memorat hanc Synodum de Cardinalium suorum consilio hunc in finem esse decretam, ut de reformatione Ecclesiæ ageretur. Omnes Reges, Principes, Magnates, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Prælatos, Capitula, Monasteria, ut vel se vel per Procuratores intervenirent, sollicitat, promisso omnibus & singulis nemine excepto, salvo liberoque com-
meatu. Tandem Principibus atque Episcopis præcipit, ut cunctos ad hoc Concilium venturos protegere vellent, præcipue vero illos, qui propter inimicitias aut forenses lites sibi periculum ex itinere timere possent.

§. LIII.

*Tractatus pacis inter Joannem XXIII.
& Ladislaum.*

An. 1412. **L**adislaus anno superiori a Pontificis, & Ludovici Andegavensis exercitu tu-
Niem in vita nestam passus cladem in extremo cun-
Joan. c. 21. cta perdendi discrimine positus erat, nunc
verò